

I T A L I A.

nubiferas & aërias, & saxa minantia cælo, appellaverint. Celebrata est montis Athi in Thracia, & Olympi in Thessalia altitudo, in cuius cacumine aram esse ferunt Iovi dicatam, cuius altaribus si qua de extis inferuntur, nec difflantur ventosis spiritibus, nec humentibus pluviis diluuntur; sed volvente anno, cuiusmodi relicta fuerint, ejusmodi reperiuntur. Verum Polybius, Historiæ & Geographiæ peritissimus, & qui Alpes coram ipse, ut lib. 3 testatur, inspexit, neque Athon, neque Olympum, neque quenquam alium, sive Græciæ, sive universæ Europæ montem Alpibus altitudine magnitudineque comparandum esse censuit. Nec illud de extis & cineribus in Olympo satis est documenti, hinc omnium esse altissimum, par quippe exemplum legitur de Lacinio Italiæ promontorio, minime alto; in quo Iunonis quondam ara, de qua ita Plinius libro 2, capite 107: In Lacinia Iunonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis. Dicæarchus, Regum Macedoniæ cura, altitudinem montium permensus, altissimum prodidit Pelion Thessaliæ montem, altum ratione perpendiculari passus mille ducentos & quinquaginta. sed fefellit ipsum sua conjectatio. Ipse enim Plinius, Comensis municeps, quod oppidum ad radices Alpium situm est, earum vertices quosdam longo tractu nec breviore quinquaginta millibus passuum adsurgere scribit. quod & se expertum testatur Cluverius, licet adscensu minime adclivi. Sed quum multis locis adscensus eorum satis adclivis & arduis, reperiatur triginta millium, facile hinc colligere licet, longe altitudinem eorum mille illos & ducentos ac quinquaginta passus Pelii, perpendiculari ratione, vel his etiam amplius Olympi montis excedere, altissimosque Græciæ totius montes superare. Quod autem poëta Alpes vocent nubiferos montes, non ita magna res est, cum nubes non semper media aëris regione, sed sæpenumero etiam proprius terram ferantur. quanquam densissimis haud raro nebulis montes tegantur, quæ nubes esse omnino videntur. quod non Alpibus tantum, sed cuivis etiam minus excuso monti passim accidere constat. Hoc quoque certum, non parem ubique esse earum altitudinem; qua incipiunt, humiliores sunt, qua finiuntur, mitescunt; intermediae plerisque locis altiores sunt. Solinus Vesulum montem, unde Padus oritur, inter omnium Alpium juga exsuperantissimum nominat. Alii Leontias Alpes summas esse volunt, Rhethi suas altissimas esse contendunt. Sunt autem summa Alpium horrida & sterilia, nivibusque perpetuis rigentia; media latiora & cultui apta, pleraque pascua; ima, præsertim ab eo latere, quod Italiæ ac orientem meridianumque Solem prospicit, campestria & omnium rerum feracissima, licet & alterum latus Septentrionibus objectum, quæ ad victum cultumque

*Alpium
natura ac
indoles.*

sunt necessaria, sic satis sufficiat. In cacuminibus, qua frequens iter est, diversoria exstructa sunt recipiendis viatoribus, in quæ omnis annona, omniaque adeo ligna ad focos jumentis per multa interdum passuum millia subvehuntur. Descripsit eas elegantissimo carmine Silius lib. 3, ubi de Hannibalis in Italiam transitu canit:

Cuncta gelu canaque æternum grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent. riget ardua montis
Ætherii facies; surgentique obvia Phæbo
Duratas nescit flammis mollire pruinæ.
Quantum Tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos atque atræ stagna paludis
A supera tellure patet; tam longa per auras
Erigitur tellus, & cælum intercipit umbra.
Nullum ver usquam, nullique astatis honores.
Sola jugis habitat diris, sedesque tuerit
Perpetuas deformis hyems. illa undique nubes
Huc arras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Iam cuncti stolidi ventique furentia regna
Alpina posuere domo, caligat in altis
Obtutus saxis: abeuntque in nubila montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque juncta Mimanti,
Ossaque cum Pelio, cumque Hemo cesserit Otry.

Alpes pro partium ac situs diversitate varias hic illuc, olim & hodie fortitæ sunt appellatio-<sup>Alpium
distinctio.</sup>nes. Sub Imperio Romano primisque Imperatoribus distinctæ fuerunt ab infero mari ad superum, in Maritimæ, Cottias, Grajas, Penninas sive Pœninas, Rhæticas sive Tridentinas, Noricas, Carnicas, & Iulias sive Pannonicas.

*Maritimæ, à mari Ligustico, cui imminent, non
men traxere. Et quia à Liguribus inhabitatae,
Ligusticæ quoque Alpes dictæ fuere. Extende-
bantur intra Varum amnem, Italiæ finem, à
Vadis Sabatiis sive Genua, ad Vesulum usque
montem, qui Padum fundit. Iter describitur
ab Roma per viam Aureliam, per Tusciam &
Alpes maritimæ Arelatum usque. Maritimæ
pars est mons, Acerna Plinio dictus, ex
quo Varus profunditur. Hodie vocatur monte
Camelione. Augustinus enim Justinianus No-
biæ Episcopus, qui Corsicæ descriptionem in
tabulam rededit, ut ipsem inquit in historia
sua Genuensi, notat Varum hodie ex monte
Camelione oriri.*

Post maritimæ Alpes incipiebant *Cottiae, à Cot-*^{Cottiae}
tio rege cognominatae, de cuius contra Romanos
gestis legendi Sueton. in Nerone, Dio Ca-
sius, Eutropius, Auctor de viris illustrib. Ammia-
nus Marcellin. aliique. Minus recte quibusdam
Cottiae vocantur, & Rex *Cottius*, mutato t in c.
Antiquis quippe temporibus et efferebatur tan-
quam duplex rr. Vnde & hodie vulgari Italoru-
mum sermone dicitur *atto, fatto, patto, petto, setta,*
detto, dotto, dutto, pro actus, factus, pactum, pectus,
secta, dictus, doctus, ductus. Græci quoque aucto-
res per geminum & habent *Kōttē, & Kōttai.* Tra-
ctus Alpium Cottiarum fuit inter Austrum &
Septentrionem, à supra dicto Vesulo monte ad
montem